

TRACTATUS
DE BONITATE ET MALITIA
ACTUUM HUMANORUM.

QUÆSTIO XVIII.
DE BONITATE ET MALITIA ACTUUM
HUMANORUM IN GENERALI.

SUMMA LITTERÆ.

Tractatum hunc de bonitate et malitia dividit S. Thomas per quatuor quæstiones. In prima, quæ est ista quæstio XVIII, agit de bonitate et malitia secundum se, et in communi. In duabus sequentibus agit de illa in particulari. Dividuntur enim actus voluntarii, seu humani in duo genera, quia alii sunt imperantes, seu interiores; alii imperati, et exteriores, sive ad eandem potentiam pertineant, sive ad diversam. Et ideo in quæstione XIX sequenti agit S. Thomas de bonitate et malitia actuum interiorum. In quæstione autem XX de bonitate et malitia exteriorum. Et tandem in vigesima prima, de proprietatibus, quæ bonitatem et malitiam sequuntur, quæ sunt tres, id est, rectitudo et peccatum: secundo, vituperabile et laudabile: tertio, meritum et demeritum.

In hac ergo quæstione XVIII, agit D. Thomas generaliter de speciebus moralitatis, quæ sunt bonum, et malum, et indifferentes, et de ejus circumstantiis, quæ accidentalem præstant bonitatem, aut malitiam. Et de bonitate et malitia, quæ sunt præcipuæ species, et de earum principiis unde proveniant, agit per septem priores articulos. De indifferentia agit articulo VIII et IX, de circumstantiis agit articulo X et XI.

Igitur in primo articulo præmittit id, quod pertinet ad quæstionem an est, scilicet inveniri in actibus humanis bonitatem et malitiam quia invenitur integritas, et plenitudo debita est perfectio, et quod est perfectum est bonum, et ubi deficientia ab eo, quod debetur, est malum.

In secundo articulo incipit inquirere principia, unde proveniat bonitas et malitia in actibus. Et primo incipit ab objecto. Et docet sumi ab eo primam bonitatem et malitiam formam specificam sibi debitam, aut defectum, si illa careat.

QUÆSTIO XVIII. DE BONITATE ET MALITIA ACTUUM, ETC. 613

In articulo tertio docet aliud principium dari bonitatis aut malitiæ in actibus, scilicet circumstantias a quibus sumitur bonitas, vel malitia accidentaliter, sicut in naturalibus plenitudo perfectionis, non solum ex substantiali forma, sed etiam ex accidentibus desumitur.

In articulo quarto explicat tertium principium ex quo specialiter sumitur bonitas et malitia, scilicet ex fine; licet enim finis inter circumstantias numeretur, tamen specialiter est movens ad actionem, et actio ordinatur ad consequendum finem. Unde præter bonitatem absolutam, oportet quod habeat bonitatem relatum, et dependentem a fine.

In articulo quinto explicitis principiis unde bonitas, vel malitia oriatur in actibus, incipit explicare quomodo hæc principia speciem constituunt. Et in primis docet, quod bonitas et malitia constituunt speciem in actibus humanis quatenus morales sunt, eo quod prout humani respiciunt objectum ut regulabile a ratione, esse autem secundum rationem est homini bonum, et esse præter rationem est malum.

In articulo sexto ostendit, quod etiam species boni, et mali sumitur ex fine, eo quod respectu actus interioris (qui actus movens, et imperans) finis est objectum, et sic dat illi speciem boni, vel mali. Maxime autem ab actu interiori reliqui exteriores, humani, et voluntarii dicuntur, quia voluntas est quæ proprie movet, et ex illa habent alii actus, quod sint voluntarii, et ex objecto voluntatis, quod est finis, bonitatem habent.

In septimo articulo ostendit, quomodo inter se ordinentur istæ species, quæ sumuntur ex objecto, et fine. Et docet, quod quando objectum per se non ordinatur ad aliquem finem, neque per se determinatur a specie illius, sed utraque species se habet quasi dispartite, et accidentaliter ad alteram. Si vero objectum per se ordinetur ad aliquem finem, species quæ est ex objecto continetur sub specie, quæ est ex fine tamquam sub magis universali, et generali non in prædicando, sed in movendo.

In octavo et nono articulo agit de tertia specie moralitatis, quæ est indifferentia, et ostendit in articulo octavo dari actum ex specie sua, id est, ex objecto indifferentem: in articulo autem nono non dari actum indifferentem in individuo. Et ratio primi est, quia species actus sumitur ex objecto præcise, et sine circumstantiis, et tale objectum aliquando non dicit aliquid conforme, vel difforme rationi, ut levare festucam, ire in campum, sed de se ad utrumque est indifferens. Ratio vero secundi est, quia actus in individuo respicit objectum cum suis circumstantiis, et præsertim cum fine, qui est ratio operandi. Quod si ponitur rectus finis, actus est bonus; si indebitus est malus; si nullus, vel indifferens est actus otiosus, quia hoc ipso non habet rationem quare fiat.

In articulo decimo et undecimo ostendit, quomodo circumstantiæ se habeant ad dandam speciem boni, vel mali, vel solum ad augendum. Et dicit, quod circumstantia licet de se sit accidens, tamen quia ratio etiam de illa potest discernere tamquam de quodam objecto, et specialem ordinem rationis in ea invenire, potest etiam transire in conditionem objecti, et dare speciem moralem, quatenus conditio objecti est, et ad objectum pertinet dare primam speciem. At vero si circumstantia talis conditionis sit, quod non possit de ea ordinare ratio, nisi præsupposita alia priori bonitate, vel malitia, talis circumstantia non dat speciem primam, sed auget, vel diminuit de bonitate, vel malitia, sicut furari in tanta quantitate addit malitiam, quia supponit esse alienum id, quod accipitur, et in hoc prima ratio malitiæ consistit.

QUÆSTIO XIX.

DE BONITATE ET MALITIA ACTUS

INTERIORIS VOLUNTATIS.

SUMMA LITTERÆ.

Bonitatem et malitiam actus interioris (id est actus imperantis, et moventis ad alios) D. Thomas explicat disquirendo principia a quibus dependet talis actus in sua regulatione, et moralitate. Actus autem in quantum moralis, seu regulatus tendit ad objectum ut rationi conforme, vel difforme. Et ideo non solum oportet videre quomodo habeat bonitatem, et malitiam ab objecto, sed etiam regulam ipsam, et applicationem ejus a qua dependet. Pertinet autem ad istam regulationem ratio proponens, seu ordinans, lex regulans, conscientia dictans, voluntas divina jubens. De omnibus istis agit per decem articulos.

Igitur in articulo primo, præsupponit bonum, et malum in actu voluntatis sumi ab objecto. Per se enim pertinet ad voluntatem bonum, et malum, et sic differentie penes bonum, et malum sunt differentie per se in actu voluntatis; ergo pertinent ad speciem actus. Species autem in actibus sumitur ab objecto; ergo bonum, et malum in actibus voluntatis sumitur ab objecto.

In articulo secundo, docet bonitatem, vel malitiam in actu interiori voluntatis (id est in primo actu, seu in intentione) desumi ex solo objecto, et objectum talis actus est finis, eo quod in illo primo actu attenditur bonitas, et malitia sicut in principio, unde derivatur ad alios; ergo tamquam in eo in quo est per se, et non per accidens bonitas, et malitia; hæc autem per se solum sumitur ab objecto, a quo est species essentialis in actibus.

In articulo tertio et quarto, ostendit D. Thomas quomodo bonitas actus voluntatis dependeat a ratione et a lege divina seu æterna. A ratione quidem dependet tamquam a proponente, et manifestante, seu applicante objectum et regulam ipsius, quia regulatum respicit, et applicat objectum. A lege autem dependet ut a regula ipsa cui conformari, vel difformari debet actus. Unde ratio non potest regulare, neque objectum regulatum manere, nisi dependenter a lege.

In articulo quinto et sexto, docet quomodo actus discordans a ratione, hoc est a conscientia errante sit malus, et concordans rationi sit bonus. Et circa primum docet, quod omnis actus contra conscientiam factus semper est malus, quia hoc ipso quod a conscientia discordat, etiam si conscientia in re erret, malitiam habet, quia fertur in rem sub ratione mali moralis, hoc est, sub ratione contrarii ad dictamen conscientie, quod proponitur ut bonum. Circa secundum autem docet, quod non semper quod actus concordat dictamini conscientie redditur bonus, et excusabilis, quia potest conscientia errare. Et quidem si erret, voluntarie, et culpabiliter, seu vincibiliter, actus inde deductus etiam est culpabilis. Si vero erret invincibiliter, et involuntarie, excusabitur pro illa parte.

QUÆSTIO XX. DE BONITATE ET MALITIA ACTUUM, ETC. 615

In articulo septimo et octavo agit de redundantia bonitatis ex actu intentionis ad actum eorum, quæ sunt ad finem. Et docet duo. Primum, quod ex intentione finis antecedente, et causante, seu imperante actum, qui est circa media derivatur bonitas, aut malitia in actum exteriorem, seu imperatum. Si vero intentio non antecedit, sed superveniat, non vitiat, aut rectificat actum præteritum, sed sequentem, iteretur. Secundum est, quod quantitas bonitatis in actu exteriori, seu imperato non semper commensuratur ex parte objecti voliti bonitati objecti intenti, quia potest aliquis eligere improprietatum bonum ad finem intentum aut impediri ne proportionatum medium adhibeat. Intentio tamen actus imperantis, et, voluntatis circa finem redundat formaliter in actum imperatum, quatenus est propter illum præcise, non autem semper in se, et materialiter actus electionis est æque intensus actui intentionis.

In articulo nono ostendit bonitatem actus voluntatis dependere ex conformitate ad divinam voluntatem, quia voluntas divina est prima mensura omnis voluntatis humanæ, et sic ut sit recta, debet ei conformari.

In articulo decimo ostendit, quod voluntas humana tenetur conformari divinæ in re volita formaliter sumpta, et secundum rationem volendi, qua est a Deo, non tamen semper in volito materialiter sumpto, et secundum se, quia Deus vult, et disponit de rebus secundum rationes universales, et fines altiores secundum quas vult quandoque aliquid nostre particulari inclinationi contrarium, ut patrem, vel filium occidi, quod ego non debeo velle in particulari, licet in generali debeo conformari voluntati divinæ, ut tenet se ex parte Dei, et motivorum ejus. Et tamen hoc etiam, quod ego habeam inclinationem contrariam rei volitæ a Deo ex ipso est, qui tales inclinationes indidit creaturis.

QUÆSTIO XX.

DE BONITATE ET MALITIA ACTUUM EXTERIORUM.

SUMMA LITTERÆ.

In articulo primo ostendit bonitatem, vel malitiam exterioris actus esse duplicem aliam ex proprio objecto, materia, et circumstantiis, quæ dicitur bonitas, vel malitia ex genere: aliam ex fine, qui finis est objectum actus interioris, seu imperantis. Et prima bonitas non derivatur ad actum exteriorem ex imperio, et motione actus interioris, sed ex se id habet. Secunda vero derivatur ex actu interiori, et ideo in executione sequitur ex actu interiori, licet in apprehensione possit antecedere.

In articulo secundo docet totam bonitatem, aut malitiam participatam a fine in actu exteriori, et imperato dependere ab actu interiori, et imperante, non autem totam bonitatem, aut malitiam ex genere. Et tamen ut actus exterior dicatur malus, sufficit malitia derivata ex actu interiori; ut autem fit simpliciter bonus, non sufficit bonitas ex actu interiori, quia bonum est ex integra causa.

In articulo tertio docet ex eodem principio, quod quando bonitas actus exterioris non est alia, quam quæ participatur a fine, et ab actu interiori,

una et eadem moraliter est bonitas utriusque actus. Quando autem in actu exteriori invenitur alia bonitas ex proprio genere, tunc non est una, et eadem, licet ex ista redundet in aliam, et e converso.

In articulo quarto ex eodem principio ostendit, quod bonitas, vel malitia actus exterioris non addit supra bonitatem actus interioris, quantum ad id quod ab illa participat, nisi contingat actum exteriorem duplicari, seu multiplicari, aut continuari, seu extendi vel magis intendi præ alio. Bonitas tamen, vel malitia quam habet actus exterior ex proprio genere addit supra bonitatem, vel malitiam, quam habet ex fine, seu ex actu interiori: licet non diminuatur meritum, si homo, existente voluntate interiori perfecta, solum ex defectu possibilitatis non operetur.

In articulo quinto docet, quomodo eventus sequens, verbi gratia damnum secutum addat de bonitate, vel malitia super actum exteriorem. Et distinguit, quia vel ille eventus est præcogitatus, vel non. Si est præcogitatus, et tamen non propter hoc dimittitur actus, ex hoc reddit voluntatem magis deordinatam, et sic addit malitiam. Si autem non est prævisus, adhuc subdistinguit, quia vel talis eventus sequitur ex tali re per se, et ut in plurimum; vel per accidens, et in paucioribus. Primo modo addit ad bonitatem, vel malitiam, quia est illi actui annexum, et tenebatur prævidere. Secundo modo non addit, quia quæ sunt per accidens non cadunt sub regula.

In articulo sexto docet unum, eundemque actum in genere moris non posse simul esse bonum, et malum, bene tamen potest esse unus in genere naturæ, seu entitative, et esse bonus et malus.

QUÆSTIO XXI.

DE HIS QUÆ CONSEQUUNTUR ACTUS HUMANOS RATIONE BONITATIS ET MALITIÆ.

SUMMA LITTERÆ.

In articulo primo docet actum humanum ex eo, quod sit bonus, vel malus sortiri ratione et rectitudinis, vel peccati. Dicitur enim actus rectus ex eo quod concordat fini, qui est ejus mensura; dicitur autem peccatum, quia obliquatur a tali fine, et quasi curvatur ad se. Actus autem voluntarius est bonus, et perfectus ex fine, malus autem ex privatione, seu defectu ipsius. Ergo rectitudo, vel peccatum consequuntur in actibus humanis ex bonitate et malitia.

In articulo secundo docet sequi ex eisdem actibus rationem laudabilis, vel vituperabilis. Laus enim, et vituperium ex hoc convenit actui, quia imputatur agenti. Imputatur autem actus, quia est in potestate libera voluntatis, et facit; ergo in voluntariis malum, et bonum constituunt rationem laudabilis, et vituperabilis.

In articulo tertio ostendit sequi rationem meriti, vel demeriti ad actum humanum ut est bonus, vel malus. Etenim meritum, vel demeritum pertinet ad retributionem. Retributio autem debetur actui prout se habet ad alterum, in cujus profectum, vel nocumentum agit. Cum ergo homo vivat

in societate, ex eo quod bene, vel male agit, sive respectu alterius singularis personæ, sive respectu totius communitatis, sive respectu sui, debetur ei retributio a communitate, vel ab altero, qui præest communitati quia est pars illius communitatis.

In articulo quarto ostendit specialiter omnes actus humanos habere rationem meriti, vel demeriti apud Deum; tum ratione ipsius, quia est finis ultimus, qui debitum est, ut ordinentur in illum omnes actus; tum ratione communitatis, quia est supremus rector totius universi, et totius entis, unde quidquid agit pars universi debet sibi retribui a Domino totius universi, et gubernatore illius, quia omni parti universi providet juxta quod cedit in bonum, vel malum illius.

DISPUTATIO VIII.

DE MORALITATE ACTUUM HUMANORUM IN COMMUNI.

ARTICULUS I.

*Quid sit moralitas secundum se, et
in communi sumpta?*

I. Morales actus hic vocamus actus humanos, qui sunt proprii hominis in quantum homo est, id est, prout agitur, et regulatur ratione. Est enim proprium hominis agere per voluntatem, et rationem, eo quod in quantum homo est rationalis, et in quantum rationalis est præditus duplici potentia, intellectu scilicet et voluntate, ideoque ut supra dixit S. Thomas, quæst. 1, art. 1 et 3: « Actus dicuntur humani in quantum procedunt ex voluntate deliberata, » id est, ex voluntate per advertentiam rationis directa, et disposita. Et quia mores proprie conveniunt homini, dicente Ambrosio præfatione in Lucam, prope finem: « Quod mores proprie dicuntur humani », ideo communi theologorum usu receptum est humanos actus vocare morales, id est, ad mores spectantes. Licet enim in brutis assuetudines reperiri possint, quia addiscere, et disciplinari possunt, et per frequentationem actuum suas

explicant, et acquirunt habilitates, ut in canibus, aliisque animalibus videmus, tamen illæ consuetudines proprie non dicuntur mores, quia non sunt tales, quod inducant laudem, vel vituperium meritum, aut demeritum, quod tamen proprie debetur moribus, et ideo mores proprie ad homines pertinent, dicuntur enim mores laudabiles, aut vituperabiles, si mores sint.

II. Difficultas ergo est, quod sit in actibus humanis ista moralitas, et in quo consistat. Et loquimur de moralibus, sicut de artificialibus. In artefactis enim invenitur, et materia ex qua fit artefactum, et forma qua formatur, et perficitur; idemque in moralibus invenire est, quæ sunt actiones mensurabiles a ratione, sicut artificiales ab arte. Agibilia enim diriguntur a prudentia, et factibilia ab arte: et in factibilibus tamquam in materia introducit forma artis, scilicet ordo, aut dispositio, vel figura partium; et in factibilibus introducitur directio, et ordo ad regulam rationis, quam respicit prudentia, et materia talis directionis sunt actus liberi, et voluntarii, qui soli sunt capaces illius regulationis: inde actus regulati, vel dissoni a regula dicuntur, et hoc est esse morales, id est, regulis morum subjecti, aut ab eis deficientes.

III. Est autem punctus difficultatis in duobus. Primum, an in acti-